



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XXXIV. Quid sit opinari? & quæ natura opinionis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



# QUAESTIO TRIGESIMA. QUARTA.

*Quid sit opinari? & qua natura opinionis?*

**D**E natura atque essentia opinionis egi *quaest. 2. de Consc. prob.* nec opus fuisset quidquam addere, nisi Celladeus in Appendice *quaestionibus 6. 7. & 8.* fidelissimè de hac re tractasset, atque sic occasionem rem hanc breviter retractandi dedisset. Duo autem potissimum explicanda sunt. Primum, quid sit opinio: secundum, in quo consistat formido, quam omnes opinioni tribuunt. Multa quidem affert, & ingeniosè expendit Celladeus circa rem hanc, in qua tamen, utpote fati clara ac facili, tanto molimine opus non erat, maximè cum post omnia, quae in tribus illis quaestionibus fusè congerit, ritè intellecta, non appareat, in quo à communi opinione dissentiat. Ego rem, quae potero brevitate & claritate, expediam.

## ASSERTIO PRIMA.

*Opinio est iudicium absolutum de re proposita, nixum motivo fallibili.*

Opinio quid sit?

**2. P**ROBATUR, & declaratur. Omne iudicium, absolutè enuncians de veritate rei propositae, est vel scientia, vel fides divina infallibilis, vel opinio, comprehendendo fidem humanam & fallibilem sub nozione opinionis, seu iudicii opinativi. In hoc omnes conveniunt. Sed iudicium absolutè enuncians de veritate rei propositae, motivo fallibili nixum, non est scientia, nec fides divina; quia utraque nititur motivo infallibili; illa evidenti, haec certo sed obscure proposito. Ergò omne tale iudicium est opinio; ex opposito, nullum iudicium nixum motivo infallibili est opinio, sed reducit vel ad scientiam vel ad fidem. Ergò omne & solum iudicium nixum motivo fallibili est opinio. Itaque opinio est assensus debitor, seu minùs fortis quam scientia & fides, quia nititur motivo minùs valido, ut patet. Rursus ex omnibus iudiciorum speciebus opinio est imperfectissima. Ratio est perspicua, quia omnia iudicia possibilia reducuntur ad scientiam, fidem, vel opinionem. At iudicia duobus prioribus classibus contenta sunt perfectiora opinione. Ergò opinio ex genere suo est omnium iudiciorum absolutè enunciantium imperfectissima, & in hac ejus imperfectioe consistit formido saltem radicalis deceptionis, quae omni opinioni essentialis est. Nihilominus opinio praeminet dubitationi, & suspitioni; quia dubitatio nullam enunciationem continet, sed haeret inter utrumque; suspicio verò est imperfectus quidam modus tendendi in rem, de qua ta-

Opinio est omnium iudiciorum imperfectissima.

men non pronunciat absolutè quod sit aut quod non sit.

**3.** Hæc explicatio, seu definitio opinionis est maximè propria, & omnium, quae afferri possunt, optima; quia explicat differentiam essentialem illius per ipsam radicem, à qua speciem accipit, & à qua propria illius differentia derivatur. Idè enim talis est, & tam imperfecta, atque radicaliter saltem formidolosa, quia nititur motivo fallibili. Quae cum adeò clara sint, atque perspicua, mirum est, Celladeum, istis omissis, per longas ambages, & obscuras ac intrincatas vias, naturam opinionis explicare voluisse.

Definitio lata sit maximè essentialis opinionis.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

**4. O**BJICIT primò. Paralogizantes non sciunt, sed opinantur. Atqui paralogizantes feruntur in suam assercionem absque omni formidine, ac si esset demonstrata, eamque habent pro demonstrata. Ergò non nituntur motivo fallibili. Saltem motivum non illis apparet fallibile. Ergò non omnis opinio nititur motivo apparenter fallibili, cum aliqua nitatur motivo apparenter infallibili.

Obiectio 1.

Respondeo in primis, omnem opinionem niti motivo vera fallibili, quod absque dubio verum est in omni paralogismo; & hoc sufficit ad veritatem assercionis.

Paralogizantes nititur motivo fallibili.

**5.** Respondeo secundò. Omnem opinionem ita niti motivo fallibili, ut ipsius fallibilitas aliquo modo, exercitè saltem, appareat & innotescat opinanti. Ratio est clara. Quia motivum in se obscurum & fallibile, non potest refundere claritatem & infallibilitatem in actum, quem fundat. Ergò actus ille intrinsicè & in sua essentia nec clarus est, nec modo infallibili tendit in suum objectum. Unde intellectus, illo actu informatus, non potest non exercitè percipere debilitatem & fallibilitatem apparentem, cui nititur. Hinc sequitur, hominem paralogizantem non esse directè certum de conclusione, quam demonstratam putat. Concedo tamen, quod reflexè feratur in illam tanquam in legitimam demonstrationem. Sed neque hæc cognitio reflexa est certa, cum nitatur motivo non solum fallibili, sed falso, quod obscure, fallibiliter, & falso proponit qualitatem motui directi. Ergò non certificat, illud motivum esse infallibile, sed probabili ad summum enunciatione dicit, illud esse certum ac demonstrativum. Itaque quamvis homo errans reflexè asserat motivum directum esse infallibile, hoc tamen fallibiliter & obscure enunciat. Ergò fieri nequit, quin motivum directum fallibile non solum exercitè, sed etiam signatè illi appareat aliquo modo fallibile, quia per cognitionem reflexam solum fallibiliter apparet infallibile.

Fallibilitas motivi exercitè apparet omni opinanti.

6. Fieri



## ASSERTIO II.

Omnia opi-  
nio caret  
firmitate in-  
tellectuali.

6. Fieri quidem potest, ut per imperium voluntatis imperetur assensus valde firmus, firmitate adhesionis habitus à voluntate contemne[n]te quidquid est in oppositum; sed fieri nequit, ut intellectus tali objecto firmiter & sine ulla formidine adhaereat firmitate intellectuali. Neque enim dispositio errantis aut paralogizantis, quare potest dispositionem intellectualem verè scientis, ut patet.

Obiectio 2.

7. Objicit secundò. Motivum infallibile proponi potest fallibiliter. In hoc casu, assensus propter illud elicitus nec evidens est, nec certus, sed opinativus, & formidolosus. Ergò nec est scientia, nec fides divina. Ergò est opinio. Ergò non omnis opinio nititur motivo fallibili.

Motivum  
infallibile  
potest inno-  
tescere falli-  
biliter, quò-  
do inno-  
tescit media-  
tè.

Respondeo, antecedens verum esse, quando motivum infallibile mediata tantum proponitur, & per aliud motivum innotescit. Verum tunc assensus non respicit illud ut motivum proprie dictam, seu ut motivum suum formale, sed solum illud aliud motivum, propter quod fallibiliter & formidolosè affirmamus dari motivum infallibile. At hoc motivum est fallibile. Ergò proprium motivum talis assensus est fallibile, & consequenter ille assensus est opinativus. Sic si quis habens revelationem privatam alicujus rei, mihi diceret, talem rem esse à Deo revelatam, & ego illi crederem, atque ex fide illi data, inferrem rem illam esse veram, quia Deus illam revelavit; in hoc casu Dei revelatio non esset motivum credendi, sed res aliunde credita. Quamvis enim revelatio Dei respectu ultimæ illationis esset una ex præmissis, illa tamen non esset præmissa immediata, & habita per se, sed ex discursu cognita; & consequenter niteretur motivo fallibili, in quo solo proinde veritas ex illa illata fundaretur tamquam in motivo proprie dicto, de quo solo loquitur assertio.

Responde-  
tur argu-  
mento ad-  
missa hypo-  
thesi, quam  
continet.

8. Quod si fieri possit, ut motivum, quod intellectui bene disposito ratione sui est evidens aut infallibile, alteri obtusiori intellectui immediate innotesceret apparentià minus perfectà, tunc illa apparentia esset quidem infallibilis ex parte objecti, & quoad se; sed ex parte subjecti, seu quoad cognoscentem, vel quoad nos illa apparentia objectiva non esset infallibilis, quia proponeretur per apparentiam formalem imperfectam & motivo suo improporcionalem. Ergò assensus tali motivo præstitus esset opinativus, quia niteretur motivo fallibili quoad nos, id est motivo non melius proposito, seu fortius allicienti, quam appareat & alliciat motivum fallibile debite propositum. Hoc autem sufficit ad intentum assertionis, si casus iste admittatur. Cæterum vix videtur fieri posse, ut motivum infallibile, immediate movens intellectum, possit inferre nisi actum certum; quia modus tendendi actus proportionatur lumini, in quo immediate fundatur. Ergò motivum infallibile immediate movens intellectum necessaridè infert assensum sibi proportionatum, nempe assensum ex modo tendendi certum & infallibilem. Quod si motivum illud fallibiliter appareat, id est, quia non immediate ac ratione sui, sed solum mediata ac ratione alterius motivi fallibilis innotescit.

Omnia opinio de una parte contradictionis annexam habet formidinem, ne pars opposita sit vera. Propositum autem sit explicare, quid, & quotuplex sit formido opinionis.

9. **O**MNES in eo conveniunt, quòd opinio sit assensus formidolosus. Ratio est, quia motivum fallibile tribuere nequit actui, ad quem movet, evidentiam aut certitudinem intellectualem. Ergò fundat iudicium carens certitudine intellectualem. Ergò intellectus vi talis iudicii fertur quidem absolute in objectum, sed absque certitudine, id est, absque firma adhesionem intellectualem circa veritatem illius. Sed ferri in objectum, & non ferri in illud per firmam adhesionem, seu per certitudinem intellectualem, est ferri formidolosè in illud, seu cum aliqua, ut ita dicam, diffidentia intellectualem de veritate rei affirmata, ne forte oppositum sit verum. Hæc diffidentia intellectualis est propria formido opinionis. Ergò omnis opinio est formidolosa.

10. Itaque propria & essentialis formido opinionis aliud non est, quam ipsa imbecillitas assensus præstiti, derivata in actum ab imperfectio[n]e motivi, cui nititur. Sicut enim motivum evidens, ob suam perfectionem & claritatem, tribuit actui claram, evidentem, ac fidentissimam tendentiam in objectum, & sicut motivum certum & infallibile tribuit actui, quem fundat, fidentem, certam, & infallibilem tendentiam in suum objectum; sic motivum fallibile, cum in se non habeat istas perfectiones, sed oppositas imperfectiones, necessaridè easdem imperfectiones tribuit actui, quem causat. Motivum enim est positivissimum, si non unicum, à quo actus tam intellectus, quam voluntatis speciem accipit. Actus enim in representando æmulatur motivum suum. Ergò si motivum sit fallibile, & defectibile à vero, actus ab illo causatus fallibiliter, defectibiliter, & ut ita dicam intellectualem quòdam diffidentiam tendit in verum, quod est actum esse formidolosum; sicut ex opposito, actum esse certum ac evidentem, seu minime formidolosum, sed intellectualiter fidentem, est actum causari à motivis habentibus evidentiam vel infallibilitatem seculum identificatam, ac ab illis proportionatam evidentiam vel infallibilitatem participare.

11. Porro formido opinionis est duplex. Alia est essentialis, alia accidentalis actui opinativo. Formido essentialis consistit in essentiali actus opinativi limitatione, seu exclusione perfectionis, quæ inest actibus scientificis & certis. Perfectio autem iudicii evidens consistit in eo, quòd sit clara perfectio connexionis inter prædicatum & subjectum, per quam intellectus rapitur in assensum. Propria autem perfectio fidei consistit non in clara perceptione connexionis terminorum inter se, sed solum in adhesionem intellectus & voluntatis, quatenus illa contemnit omnia, quæ afferri possunt in contrarium, & quatenus dicit ordinem intrinsecum & essentialem ad evidentiam præviam de summa mysterii credibilitate, atque de obligatione firmissimè credendi propter testimonium Dei revelantis. Hæc adhesionem, dicens intrinsecè hunc respectum, est propria certitudo & firmitas fidei. Jam opinio nec oritur à clara perceptione objecti, nec respectum ullum dicit quid.



ad præviã evidentiam de summa rei credibilitate, aut ad obligationem ipsi firmissimè adharendi, sed oritur à motivo inferioris ordinis; atque ideo prodit actus limitatus, qui necessariò & intrinsecè caret perfectione scientiæ & fidei. Hæc carentia dictarum perfectionum est propria & essentialis opinionis imperfectio, estque ipsa opinionis incertitudo, & ad ejus differentiam essentialem pertinet. Eadem autem est & vocatur formido radicalis, quam aliqui formidinem negativam, seu exclusivam certitudinis appellant.

Accidental-  
lis seu for-  
malis quæ?

12. Verùm, quia opinio non solum elici potest, quando objectum non ita repræsentatur, sicut quando scimus aut credimus, sed etiam quando intellectus actu adverteat ea adesse vel ex parte objecti, vel certè ex parte repræsentationum ipsam impellentium, quæ habentur in scientia & fide, ideò duplex est formido, prima radicalis, quam jam explicavimus; secunda formalis, quæ in ista advertentia consistit. Quod verum est, si illa advertentia identificetur, si non identificetur cum ipso actu opinativo. Si non identificetur cum actu, talis formido erit actui accidentalis; si verò identificetur cum actu, erit quidem formido illa dicto actui essentialis, cum quo realiter identificatur, sed pariter erit logicè accidentaliter conceptui opinionis, quia talis differentia accidentaliter connectitur cum conceptu generico opinionis, sicut ratiobilitas accidentaliter logicè superadditur animalitati. Et hæc est propria natura formidinis radicalis ac formalis, quam distinctionem omnes habent in ore, quamvis pauci exactè explicant, in quo utraque consistat.

Natura moti-  
vi fallibilis,  
ejusque  
influxus in  
assensum  
explicatur.

13. Confirmantur hæc, considerando naturam motivi fallibilis. Illud enim, cum sit fallibile, non potest se manifestare, quin suam fallibilitatem simul manifestet; unde fit, ut licet manifestet se esse, non tamen eadem ratione manifestet verum esse, quod repræsentat. Evidenter enim manifestat se posse, sed non evidenter manifestat objectum à se repræsentatum esse verum, quia fieri potest, ut ipsum exeat, quin existat res repræsentata. Exemplum sume à fide humana fallibilis. Testimonium duorum vel trium est fide dignum. Hoc testimonium, quia est fallibile, quamvis evidenter manifestet se esse, atque etiam esse fide dignum, non tamen evidenter aut infallibiliter manifestat, rem ab illis dictam esse veram; cum illa duo possint separari. Idem videre est extra casum auctoritatis. Credibile est matrem diligere filium suum. Jam id quod certò manifestat matrem, non infallibiliter manifestat amorem, quia mater & amor filii separari possunt, & hoc est motivum esse fallibile; quod quamvis & manifestet se esse, & aliud esse credibile, non tamen repræsentat manifestam connexionem necessariam inter rem immediatè notam, & aliam, quam proponit; quamvis enim homo certò cognoscat matrem, non inde certò colligit amorem; & ideò formidolosè affirmat, matres diligere filios. Unde omne motivum fallibile hoc habet, ut manifestet quidem aliquam terminorum connexionem, sed simul aut expressè & formaliter, aut exercitè & virtualiter dicat, rem ipsam, quantum est ex vi hujus motivi, non esse omninò certam, & ideò non mereri assensum firmissimum omnium formidinis exclusivum. Prima apparentia de terminorum connexionem reddit rem opinabilem. Secunda de fallibilitate fundat formidinem aliquam, de qua opinio separari nequit.

14. Potrò formido omnis opinionis, tam

immediatæ, quàm mediatæ, communiter ut dictum est, dividitur in radicalem, & formalem. Radicalis est, quæ cum actu identificatur, & consistit in propria ac essentiali illius imperfectione hætenus explicata. Formalis est actus, quo reflectentes supra qualitatem seu imperfectionem motivi, cui opinio nititur, dicimus nos non certificari per hanc apparentiam, quòd objectum sit, sicut apparet, ideoque intellectualiter vacillamus, & minus fidentes sumus de veritate assensus elicit.

Formido actualis in quo consistit.

15. Quæ cum ita sint, in eo displicet Celladeus, quòd formalem opinionis formidinem explicet per actum reflexum, quo judicamus, fallere se posse opinionem, quam elicimus. Displicet, inquam, quia sæpè opinamur res necessarias, & elicimus opinionem, quæ expressè dicimus, eas non posse aliter se habere; hujusmodi autem opiniones non sunt minus formidolosæ, quàm aliæ. Ergò sunt capaces formidinis actualis, seu formalis. At non possunt conjungi cum judicio distante, objectum illud posse aliter se habere, quia hoc judicium profus contrariatur opinioni jam elicite. Ergò formido actualis talis opinionis non consistit in hoc judicio. Melius diceretur formido talis opinionis consistere in judicio dicente, objectum posse aliter se habere, non simpliciter sed quantum est ex vi hujus motivi; quia quamvis per opinionem formidolosam dicamus objectum necessario ita se habere, idque dicamus ex vi hujus motivi, nihilominus, cum motivum sit fallibile, agnoscimus illud ex vi sua esse fallibile, quamvis existimemus illud hic & nunc non fallere, & propter materiam, cui applicatur, fallere non posse. Sed hoc accidentale est lumini moventi, ut patet.

Formido actualis non rectè explicatur per actum dicentem, objectum potest aliter se habere.

16. Itaque formido formalis opinionis, universaliter loquendo, non consistit in judicio absolute dicente, rem posse aliter se habere, sed ad summum, quod aliter se possit habere, ex vi hujus motivi. Cæterum optimè explicatur in ordine ad imperfectum meritum motivi, seu in ordine ad modum adharendi objecto per opinionem ex tali motivo elicitam. Sic enim nil nisi verum dicitur, & quod sub experientiam semper cadit, quoties reflexè & formaliter formidamus. Præterea per hoc ipsum clarè patet, quid sit formido reflexa & formalis, aliud enim non est, quàm reflexa cognitio de qualitate opinionis postpositæ, & explicata reflexio supra formidinem radicalem.

17. Cæterum Celladeus benè refellit eos, qui formalem seu actualem opinionis formidinem crudè explicant per particulam illam *forte ita est*: & sanè si loquamur de formidine radicali, illa incongruè explicatur per particulam *forte*, alioquin idem esset dicere *mater amat filium*, ac *mater forte amat filium*. At dicere, *mater forte amat filium*, est idem ac dicere, *forte amat*, *forte non amat*, quia terminus *forte* est comparativus ad oppositum ejus, cui applicatur. Ergò opinio æquè utrumque diceret, & consequenter neutrum diceret absolute, quod est absurdum. Hæc vera videntur, si *forte* sumatur in pressa sua significatione, quæ communiter loquendo dubitantis potius, quàm opinantis dispositionem exprimit. Idem dicendum de formidine actuali & reflexa, si terminus *forte* in propria significatione accipitur. Itaque hic terminus non est idoneus ad formidinem opinionis declarandam.

Actualis formido rectè explicatur per actum dicentem, forte ita est.



## ASSERTIO III.

Propositum sit explicare, quid hæc de re  
Celladeus dixerit, ejusque  
defectus & errores  
notare.

Qui scit, di-  
cit rem esse;  
qui opina-  
tur dicit, rem  
videri esse.

18. PRIMUM Celladei assertum habetur §. 4.  
& desumitur à S. Thoma ad textum 153.  
secundæ de anima, ubi hæc habet. *Cum aliquid in-  
telligimus, asserimus sic esse: cum autem opinamur,  
dicimus sic videri, vel apparere nobis.* Ex hoc Cel-  
ladeus infert, per hoc opinionem differre à scien-  
tia & certa fide, quod per scientiam & fidem in-  
dubitè dicamus *res est, vel talis est*; per opinio-  
nem verò non dicimus, quod sit, aut quod talis  
sit, sed solum pronunciamus, quid de illa nobis  
videatur. Ratio, inquit, est, quia cum opinemur  
per mediâ, quæ possunt aliter se habere, hoc videntes  
non audemus absolute dicere *ita est, sed cum restrictione  
& limitatione dicimus: ita nobis videri.* Idem pro-  
inde est opinando dicere *rem esse, ac dicere, videri nobis  
rem esse.*

Videri dici-  
tur duplici-  
ter, exercitè  
& signatè.

19. Sed quia affirmatio illa, *hoc mihi videtur*,  
directè non cadit in rem, de qua opinamur, sed  
principaliter in nostram opinionem, seu visio-  
nem, idè videtur, quod natura opinionis per  
hoc explicari non possit, quia de vestra opinione  
seu visione, non opinionem sed certissimam per-  
ceptionem habemus. Huic difficultati respon-  
det, tam opinionem, quàm videri, in mente ipsa  
sumi dupliciter. Primò exercitè & in se, secundò  
signatè & reflexè. Quando re ipsa opinamur,  
opinari, ac videri se habet exercitè; sed cum re-  
flexitè, utrumque se habet signatè, tamquam  
aliquid expressè cognitum. At in ore opinio  
solum hoc secundo modo se habet: nam de rebus,  
de quibus opinamur, dicimus *ita nobis videri.* Si-  
enim, quando dicimus, *ego video*, voces signatè  
important ipsum videre, cum tamen ipse visus  
non dicat se videre, sed videat, & è contrâ lin-  
gua non videat, sed solum dicat visionem, quæ  
ab oculo exercetur: sic pariter quando opinamur,  
non dicimus in mente *nobis videtur*, sed re ipsa  
exercitè ita nobis videtur, sed lingua non opina-  
tur, nec opinando dicit, sed solum enunciat nos  
opinari, & nobis videri. Nec dubium, quin affir-  
mationes circa res ipsas communiter explicentur  
per hos terminos, *mibi videtur*. Sic dicimus:  
mibi videtur, Petrum hoc morbo moriturum;  
quo significamus affirmationem de ipsa morte,  
non de perceptione talis affirmationis tanquam  
rei reflexè cognitæ. Tales porro actus, qui ex-  
plicantur per hos terminos, *mibi videtur*, sunt  
opinatiui. Itaque cum plus sit scire & certò cre-  
dere quàm opinari, priores illos assensus majores  
& fortiores, utpote absolutam & indubitam sen-  
tentiam continentes, exprimimus per terminos  
definitivos: *ita est, vel non est.* At quia magis li-  
mitatè & restrictè affirmamus & negamus per opi-  
nionem, quàm per scientiam & fidem, idè cum  
opinamur, non absolute dicimus *ita est, sed re-  
strictè loquimur, sicut restrictè intelligimus, &  
dicimus, ita nobis videri, aut videri nobis rem esse.*  
Ita Celladeus, fermè de verbo ad verbum.

Celladeus  
incongruè  
explicat na-  
turam opi-  
nionis per  
rem ita vi-  
deri.

20. Hæc explicatio, etsi vera, est prorsus in-  
idonea ad naturam & essentiam opinionis expli-  
candam, tum quia declaratur per verba æquivoca,  
tum vel maximè, quia nil de natura opinionis di-  
cit, nisi quod sit imperfectior scientiâ; sed unde

deriveretur hæc imperfectio, aut in quo illa consi-  
stat, nil penitus dicitur, nec ex tota explicatione  
aliud assertur quàm iudicium, quo ex verbis &  
phrasi loquentis inferri possit, quod homo opi-  
netur, non credat, aut sciat. At pro hoc sciendo  
tanto molimine opus non erat. Cæterum hæc  
reflexiones idè contra Celladeum faciunt, quia  
prætendit essentiam ac naturam ipsam opinionis  
explicare, ad quod præstandum ipsa proprietatum  
omnium radix & origo exponi debuisset. Proinde  
reflexiones illæ ex S. Thoma nil faciunt, cum  
S. Thomas ibi opinionem non definit, sed mo-  
re suo ingeniosè observârît diversitatem verbo-  
rum, quibus utimur ad significandam scientiam  
& opinionem. Mirum autem est, quod ipsa  
rei essentia relicta, ad hoc S. Thomæ dictum con-  
fugerit Celladeus, quasi per illud potissima opi-  
nionis prædicata explicarentur.

21. Secundum ejusdem assertum est circa for-  
midinem opinionis, quam §. 6. sic explicat. In  
hoc differunt scire & opinari juxta Aristotelem  
1. poster. tex. 44. quod scire sit de his, quæ nec ali-  
ter se habere possunt in se, nec aliter se haberi posse  
scienti videntur. Opinari verò est de his, quæ aliter  
se possunt habere in se, vel ita saltem opinanti vi-  
detur. Itaque opinanti duo videntur, unum est  
rem ita esse, alterum est, non repugnare contra-  
rium. Porro sicut in rebus ipsis non repugnat  
actus amandi, cum potentia non amandi; sic in  
intellectu non repugnat assensus de actu, cum as-  
sensu circa non repugnantiam ad oppositum in  
sensu composito omnium, quæ hic & nunc re-  
præsentantur, quia sunt assensus de diversis. Ita-  
que opinio, in quantum opinio, & in quantum  
differt à scientia, dicit istos duos assensus, ex quibus  
cum S. Thoma, & aliis Commentatoribus  
Aristotelis infert, eundem intellectum non posse  
simul habere opinionem & scientiam de eodem;  
quia repugnat eundem de eodem simul iudicare,  
quod possit aliter se habere, & quod non possit  
aliter se habere. Athæc iudicia requiruntur, ut  
scientia & opinio de eodem simul conjungantur.  
Hactenus Celladeus.

22. Rectè fecisset Celladeus, si hanc Philoso-  
phi doctrinam ad ipsam essentiam opinionis inve-  
stigandam adhibuisset, sicut ad explicandam ejus-  
dem formidinem illam adhibet; quia revera per  
eam ipsa opinionis essentia rectè explicatur, ut  
vidimus. Sed Celladeus in ea adhibenda & ex-  
plicanda non semel erravit. Primò, falsum est,  
quod omnis opinans existimet, rem, quæ ipsi ab-  
solutè videtur vera, posse aliter se habere. Sæpè  
enim opinamur de rebus necessariis, quæ non possunt  
aliter se habere, ut evidens est in innumeris  
opinionibus de Trinitate, de Deo, ejusque at-  
tributis, atque universim patet ex tota Philoso-  
phia ac Theologia. Et de his quidem sicut opi-  
namur ea esse, ita opinamur ea aliter esse non  
posse, quia idem est ea esse talia, ac necessariò &  
essentialiter esse talia. Ergò non possumus simul  
dicere, quod possint non esse talia. Ergò non  
omnis opinio, etiam quæ opinio, dicit illa duo,  
nempe rem ita se habere, sed tamen non repugna-  
re quod aliter se habeat.

23. Error in eo est, quod illud transferatur  
ad objectum materiale, quod soli formali conven-  
nit. De formali objecto opinionis semper ve-  
rum est, quod aliter se possit habere, cum sit mo-  
tivum fallibile, ideoque de illo etiam verum est,  
quod, etsi credatur verum, eâ apparentiâ non ob-  
stante, appareat, aut apparere possit non repu-  
gnantia aliter se habendi. Aliter ergò de imme-  
diatè.

Formidè o-  
pinionis  
quod sit  
ta Celladei

Celladeus  
errat in ex-  
plicando de  
essentia opi-  
nionis

Primum Cel-  
ladei error



diatæ, aliter de mediata opinionis formidine dicendum est. Illa semper consistit in expressionibus dictis. Hæc verò, universaliter loquendo, non dicit rem affirmatam posse absolute se aliter habere in se, sed solum posse se aliter habere in mente opinantis, quantum est ex vi hujus motivi, quod cognoscitur esse fallibile.

Clarè repugnat scientiam conjugat cum opinione immediata, non tam clarè cum mediata.

24. Hinc sequitur primò, repugnantiam scientiæ & opinionis circa idem in eodem intellectu esse quidem perspicuam, si sermo sit de motivo fallibili, seu probabili, quod immediate innotescit; eam verò non esse ita perspicuam, si sermo sit de objecto mediatè tantum scito & opinabili; quia per opinionem solum dicimus, tale objectum ita quidem se habere, sed posse aliter se habere in mente opinantis, quantum est ex vi hujus motivi. Hoc autem iudicium ex hoc capite non repugnat cum iudicio, quo ex alio motivo simpliciter dico, rem istam ita esse, & non posse aliter se habere. Sed an ex aliis rationibus repugnet talis conjunctio, disputent alii in suis locis, quia hoc ad præsens institutum non attinet. Solum adverto, Celladeum non ita confidenter dicturum fuisse, scientiam & opinionem de eodem simul in eodem intellectu combinari non posse, si distinctionem formidinis opinionis mediatæ & immediatæ percipisset, quia ratio, quam assert, non semper habet locum in opinione mediata, sed solum quando opinamur de rebus contingentibus, quæ nobis videntur posse aliter se habere.

Secundus Celladei error & contradictio

25. Secundus error est, quòd dicat, duo videri opinanti; nempe rem ita esse, & rem posse aliter se habere. Primum verum quidem est de veritate ipsius rei, sed secundum de potentia aliter se habendi falsissimum. Illa enim non videtur, sed clarè scitur. Ergò per Celladeum non debet explicari per videtur. Ecce in propriis principiis incongruè loquitur & errat, & in hoc ipso errore iis, quæ paulò ante dixerat, contradicit.

Opinio, in quantum opinio, differt à scientia, includere duos illos actus, ex quo cum Sancto Thoma intulit ex Aristotele, scientiam & opinionem de eodem non posse simul conjugari in eodem intellectu; quod tamen, inquit, intelligendum est de opinione in esse opinionis, non autem in esse assensus, ut idem S. Thomas 3. parte quæst. 9. art. 3. ad secundum perspicuè tradidit. Hæc doctrina, quòd opinio non aliter differat à scientia quàm per duos illos actus, est falsa, cum evidens sit, primum actum per se solum, utpote nixum motivo fallibili, differre à scientia. Itaque differentiam suam à scientia ab alio illo actu non accipit. Quid, quod impossibile est, duos actus inter se differre per tertium, cum uniuscujusque differentia tam specifica quàm individualis cum propria ejus entitate identificetur? Præterea secundus actus ex mente Celladei separari potest à primo, in quo casu putat opinionem in ratione assensus de veritate rei posse componi cum scientia. Jam peto, quid in illo casu cum scientia componatur; scientia, an opinio? an verò actus in genere extra omnem speciem constitutus? Si primum: ergò ille actus non potest postea constitui opinio, quia non potest perdere suam essentiam. Si secundum: ergò actus ille per se solum est opinio, & differt à scientia. Ergò opinio vera in tota sua ratione ac essentia componitur cum scientia, quamvis actualis illius formido illi superaddita cum scientia non componatur. Præterea

Tertius Celladei error.

26. Tertius error est, quòd dicat, opinionem, in quantum est opinio & differt à scientia, includere duos illos actus, ex quo cum Sancto Thoma intulit ex Aristotele, scientiam & opinionem de eodem non posse simul conjugari in eodem intellectu; quod tamen, inquit, intelligendum est de opinione in esse opinionis, non autem in esse assensus, ut idem S. Thomas 3. parte quæst. 9. art. 3. ad secundum perspicuè tradidit. Hæc doctrina, quòd opinio non aliter differat à scientia quàm per duos illos actus, est falsa, cum evidens sit, primum actum per se solum, utpote nixum motivo fallibili, differre à scientia. Itaque differentiam suam à scientia ab alio illo actu non accipit. Quid, quod impossibile est, duos actus inter se differre per tertium, cum uniuscujusque differentia tam specifica quàm individualis cum propria ejus entitate identificetur? Præterea secundus actus ex mente Celladei separari potest à primo, in quo casu putat opinionem in ratione assensus de veritate rei posse componi cum scientia. Jam peto, quid in illo casu cum scientia componatur; scientia, an opinio? an verò actus in genere extra omnem speciem constitutus? Si primum: ergò ille actus non potest postea constitui opinio, quia non potest perdere suam essentiam. Si secundum: ergò actus ille per se solum est opinio, & differt à scientia. Ergò opinio vera in tota sua ratione ac essentia componitur cum scientia, quamvis actualis illius formido illi superaddita cum scientia non componatur. Præterea

R. P. A. Terilli Regulae morum. PARS I.

certum est, illum actum, si daretur, secundum se præcisè consideratum, esse opinionem, quia niteretur motivo fallibili. Et hæc est expressa mens Celladei. Ergò esset actus obscurus habens tendentiam fallibilem, & continens formidinem saltem radicalem oppositi. Opinio autem in esse opinionis & in esse diversæ speciei à scientia & fide per hæc præcisè constituitur. Ergò ex mente Celladei est opinio. Ergò sibi contradicit Celladeus. Tertium est nimis absurdum, ut vel in mentem tanti viri cadere possit, ideoque explodendum est, & ejus impossibilitas logicis probanda relinquatur.

Celladei traditio.

27. Tertium Celladei assertum aliam opinionionis atque formidinis opinativæ explicationem continet. Hanc *rota quæst. 7. Appendicium* ideo exponit, tum quia prior, ut ait, videbatur nimis implexa, tum quia tradebat, particulam est solis certis convenire non probabilibus; particulam verò videri appropriari probabilibus non certis. Ob has aliasque rationes aliam explicationem orditur per particulam est, quâ opinantes frequentissime utuntur, ut suum iudicium explicent tam in scholis, quàm in civilibus & familiaribus negotiis. Sic qui ex inspectione horologii sive sciaterici sive rotalis horam didicit, absque ulla hesitatione aliis horam petentibus dicit, *est talis hora.* & nunquam utitur illa phrasi, *mibi videtur, talem esse horam.* Tamen iudicium de hora ex inspectione horologii publici ortum, non est nisi opinativum, ut patet. Idem videre est in innumeris aliis negotiis. Unde absurdum videtur excludere vocem est tanquam incongruam ad explicandam opinionem, cum omnes fermè ad eam explicandam illo termino utantur. Sic ergò Celladeus rem aggreditur.

Alia Celladei explicatio de natura opinionis.

28. Inprimis objectum opinabile, vel conclusio opinanda, necessariò representatur omni opinanti ut potens aliter se habere. Potest quidem conclusio esse in se scibilis, & repugnans aliter se habere. At opinanti non ita representatur. Secundò omnis opinans absolute enunciat de objecto in quod fertur. Itaque omni opinanti hæc duo representantur, scilicet conclusio nem ita quidem se habere, posse tamen aliter se habere. Hinc opinans rectè utitur particula est, rectèque dicit, *hoc est ita*: illud tamen est modificatur, & ab aliis modis affirmandi certis ac firmioribus differt per adjunctum illud, quòd ea conclusio possit aliter se habere. Porò quia notius est, conclusionem illam posse aliter se habere, quàm esse veram, intellectus priusquam eliciat actum conclusionis hanc defectibilitatem percipit, postea verò elicit conclusionem, quæ à priori illo actu est & dicitur formidolosa.

Est attributum opinantis modificatur aliter, quàm quando attribuitur scitis.

Formido opinionis quæ?

29. Cæterum aliam etiam agnoscit formidinem, actui rem affirmanti identificatam, quam Alia opinio sic exponit. Sicut voluntas magis amat Deum, quàm amicum, quamvis verè amet utrumque; ita intellectus magis affirmat unum, quàm alterum, quamvis utrumque affirmet. Ergò sicut eadem vox *amat*, diversis objectis applicata, significat amores specificè diversos; ita eadem vox est, diversis objectis applicata, significat adhesiones, seu affirmationes specie diversas. Dixi *amores specie diversos*, quia omnis rectè amans amat juxta mensuram bonitatis objecti, & consequenter ex bonitatis amatæ diversitate oritur diversitas adhesionis seu amoris. Amor ergò Dei ex sua tendentia in Deum est alterius speciei adhesio, quàm amor erga amicum. Ergò amor amici minor est amore Dei. Hoc tamen minus non

Formido opinionis quæ?

Cc est



est fuga ab amico, aut aliquid admixti odii, sed est modus ipsius amoris, quod non sit adhesio tam firma. Quod amor sit & adhesio, quid positivum est, & oritur à bonitate motivi; quod non sit major est defectus positivus, quam motus aliquis affectus vel fuga. Itaque sicut amicum non esse Deum defectuosum est, & defectum bonitatis exprimit, ita pariter in amore; nam amorem amici non esse fortiosem est defectus in vi ac fortitudine amoris, correspondens defectui bonitatis ac meriti in objecto. Eodem prorsus modo particula enunciativa est significat enunciationes specie diversas. Est scientiæ specificæ differt ab est opinionis, quia illud ex suo modo tendendi est fortius, hoc verò debilius, sicut motiva, quibus nituntur, postulant. Quod opinio sit assensus, positivum est, & provenit à perfectione motivi; quod autem sit debilius & infirmior, est defectus adhesionis, ad quam determinatur intellectus ab imperfectione motivi, & hic defectus est & vocari potest formido, & sic est opinativum ex suo genere est omnium est debilissimum, ac proinde formidolosum. Ex quo infert, nil repugnare, quo minùs opinio hoc modo explicata cum sua formidine componi possit cum scientia vel fide.

Voluntas magis amat unum quam aliud, & intellectus magis affirmat unum quam aliud.

Est significat adhesionem specie diversas.

Quid placeat, quid displiceat in Celladeo?

30. In hac explicatione placent omnino, quæ de diversis specie adhesionibus, seu amoribus & affirmationibus dicuntur. Sed displicet, quod Celladeus dicat, id esse notius in voluntate quam in intellectu, cum vel in utraque potentia id constet ex æquo, vel certè id clariùs appareat in intellectu, in quo assensus immediatus & medius, clarus & obscurus, scientificus & opinativus ex ipsa eorum inspectione statim apparent habere modos tendendi specie diversos, quorum aliqui minùs intellectualiter adherent objecto. Deinde placet, quod agnoscat formidinem aliquam actui opinativo identificatam, cujus originem & causam, atque etiam propriam ejusdem constitutionem rectè exponit. Tertio placet, quod duplicem in opinione formidinem agnoscat, aliam distinctam, quam Auctores actualem communiter appellant, aliam identificatam, quam ego cum communi radicalem appellavi. Hæc enim omnia vera sunt, & per ea, atque per connexa cum illis, tota opinionis essentia optime explicatur, ut constat ex dictis.

Dux Celladei contradictiones.

31. Cæterum totam hanc explicationem pendenti duo valde displicent. Primum est, quod dicat, conclusionem omni opinanti videri posse aliter se habere. Id enim jam vidimus esse falsum. Secundum est, quod dicat, conclusionem esse posse in se scibilem & repugnare aliter se habere, quamvis aliter appareat opinanti. Dictum hoc non displicet ut est in se, quia verum est; sed displicet in Celladeo, qui in hoc aperte contradicit illi, quod dixerat *quæstione 4. Appendix §. 3. circa medium*, ubi dixit, *probabiliter scibilia non esse scibilia, nec per scientiam haberi posse*, quod attulit ut probaret, probabiliter probabilia non posse esse probabilia, seu probabilitatem non posse probabiliter cognosci, de quo ex professo agebat in illa *quæst.* Huic autem priori asserto, hoc secundum aperte contradicit. Eidem contradicit adhuc apertius, quod addit in fine, nempe opinionem, etiam juxta suam explicationem formidolosam, coherere posse cum scientia. Ergo tenet idem simul esse posse scitum & opinatum ab eodem intellectu, quod ante *quæstione quartâ* expressè negaverat esse possibile.

32. Quartò asserit omne opinabile ac probabile reduci ad necesse vel impossibile. Hoc *quæstione 8. Appendix §. sic* declarat. Logici omnium enunciabilium materiam ad quatuor capita seu modos essendi revocant; scilicet, necesse, impossibile, possibile contingens. Ex his duo posteriora revocantur ad necesse, quia quod est contingens necessariò est contingens, similiter & possibile necessariò est possibile. Demùm contingens, ut Logici notant, evadere potest necessarium non simpliciter, sed ex suppositione. Sic contingit hominem federe; ex suppositione tamen quod sedeat, necesse est eum federe, juxta illud notum axioma, *omne quod est, quando est, necesse est esse*. Rursus Theologi, ubi disputant, an & quomodò futura libera tam absoluta, quam conditionata cognoscantur à Deo, in eo conveniunt, nil posse à Deo ipso cognosci, nisi detur necessitas aliqua vel absoluta vel conditionata, propter quam res cognoscatur & affirmetur. Qui docent ea cognosci in decretis Dei, ponunt necessitatem absolutam; qui verò tradunt ea in scriptis cognosci, admittunt necessitatem ex suppositione, quia ex suppositione quòd sit vel esset futurum, necesse est quòd sit, vel quòd esset futurum. Porro sicut necessitas semper requiritur ad affirmationem, sic impossibilitas eidem de causis requiritur ad negationem. Itaque Theologi supponunt, nil indifferens, ac proinde nil contingens aut possibile habere cognoscibilitatem affirmabilem aut negabilem. Atqui omne opinabile est cognoscibile per affirmationem vel negationem. Ergo nil indifferens, nil contingens aut possibile (in quantum possibile) est opinabile. Ergo æquè probabilia non sunt opinabilia, quia non sunt magis vera, quam falsa. Ergo à fortiori minùs probabilia non sunt enunciabilia.

33. Porro ut explicet, quomodò omne opinabile reducatur ad necesse & impossibile, sic pergit. Necessitas, sicut & impossibilitas, inquit, communiter dividitur in Moralem, Physicam, & Metaphysicam. Illud dicitur moraliter necessarium, cujus oppositum sine miraculo quidem, rarissimè tamen aut difficillimè fieri potest. Physicè necessariù est, cujus contrariù fieri potest, sed non sine miraculo. Illud autem, cujus oppositum nullà potentia fieri potest est Metaphysicè necessarium. Verùm hæc explicatio est impropria & aliena, quia necessitas vel impossibilitas Moralis est, quæ materiam Moralem, Physicam quæ Physicam, Metaphysicam quæ Metaphysicam concernit. Sed unaquæque ex istis tam necessitatibus quam impossibilitatibus est duplex; alia simpliciter talis, alia talis secundum quid. Illud est simpliciter necessarium, cujus oppositum est chimericum, ut in physicis, corpus naturale seu mobile esse finitum, & in moralibus peccatorem esse Deo odibilem. Similiter tam in physicis quam in moralibus illud est necessarium secundum quid, ad quod datur magna inclinatio, sed absolute impedibilis. Sic in physicis necesse est homines canescere, parturientes lac habere &c. In moralibus verò secundum quid necesse est, homines offensus irasci; & oppositum est impossibile secundum quid. Quocirca, cum probabile affirmativum consistat in magna quadam inclinatione & connexionione, sed absolute impedibili, & probabile negativum in magna difficultate, manifestum est, omne probabile esse necessarium vel impossibile secundum quid, & propterea quicquid non est in reducibile, non est probabile, seu opinabile & enunciabile. Porro quod in rebus est necesse vel impossibile, hoc in mente est certum, quia certitudo

Opinabile an reducatur ad necessitatem vel impossibilitatem

Celladeus committit necessitatem diversam

Notum loquitur de conclusionem necessitatis



ritudo intellectualis sequitur ad necessitatem vel impossibilitatem objecti, & ubi cessat necessitas & impossibilitas tam simpliciter quam secundum quid, cessat in intellectu certitudo tam simpliciter quam secundum quid. Ergo tunc res manet incerta & dubia, de quibus nil mentaliter enunciare possumus. Ita ille.

34. Poteram ego ista omisisse, quia vix spectant ad praesentem materiam. Volui tamen ad complementum doctrinae aliquam etiam circa ista reflexionem ponere. Inprimis immerito carpit communem explicationem triplicis necessitatis, neque enim rationem sufficientem affert, cur ab unanimi omnium aliorum explicatione recedat. Deinde quamvis divisio illa, quam ex materiis trium scientiarum assumit, esset adaequata, adhuc non sufficeret; quia in materia cujuscumque ex tribus illis scientiis dantur illi tres gradus, quos communis opinio vocat necessitatem Moralem, Physicam, & Metaphysicam, quae expressiones non minus recte explicant illas differentias, quam termini illi, absolute, & secundum quid. Immo melius illas explicant. Membrum enim illud secundum quid est nimis genericum, quia duo necessitatis genera inter se valde diversa complectitur, quod est inconveniens. Verum divisio illa Celladei non est adaequata ex parte materiae, quia dantur plures necessitates extra Ethicam, Physicam, & Metaphysicam, scilicet in Mathematica, Logica, aliisque artibus, atque etiam in Theologia, ex pure revelatis discurrete. Ergo vel alia membra addenda sunt divisioni, nempe necessitas Logica, necessitas Mathematica &c. vel illa rejicienda est tanquam inadaequata & insufficientis, qualis revera est. Tertio voces significant ad placitum. Cum ergo omnibus doctis divisio necessitatis in Moralem, Physicam & Metaphysicam placuerit, illamque ac illius membra per dictos terminos eorumque communem intelligentiam explicaverint, & quod plus est triplicem hanc necessitatis speciem cujuslibet scientiae artisque materiae applicaverint, factum est, ut voces illae jam propriissime significent hanc diversitatem, quamvis illae originaliter significationem magis restrictam ad talium scientiarum materias habuerint. Itaque non est in potestate Celladei, aut cujusvis particularis hominis vocum illarum significationem mutare. Quicumque enim dicit, illas non hoc sed aliud significare, certò errat. Ergo haec Celladei explicatio, quatenus corrigi communem acceptionem dictae divisionis, rejicienda est, & esset, quamvis nova ejus explicatio ex parte objecti nil falsum diceret.

35. Deinde, illud in modo loquendi adhuc absurdus est, quod doctrinam suam de necessitate objectorum transferat in actus intellectus, dicatque illos esse certos ea ratione, quae objectum est necessarium, nempe simpliciter vel secundum quid. Inprimis ergo omnis assensus per ipsum est certus secundum quid, & consequenter absolute loquendo dici debet certus, quia objectum omnis iudicii per ipsum est certum, nempe necessarium, vel impossibile. At hoc repugnat non solum communi modo loquendi, sed etiam experientiae, & revera ipsi etiam Celladeo, qui admittit actus actu formidolosos, undecumque tandem illa formido proveniat. An illi etiam absolute dicendi sunt certi? docetne sensus scholarum, omnes actus absolute enunciantes esse absolute certos? Quam hoc remotum à communi omnium sensu & locutione? & tamen haec Celladeus affirmare debet, ut ad suam sententiam consequenter loquatur. Deinde in materia Me-

taphysicae admittere debet certitudinem Metaphysicam secundum quid in actibus intellectus. Talis autem locutio non minus absurda est in scholis juxta communem usurpationem terminorum, quam si diceret, certitudinem summam & absolutissimam esse exiguam, & solum talem secundum quid. Et haec quidem quoad modum loquendi, & indebitum terminorum usum displicent.

36. At longè majoris momenti est, quod res ipsae, quas dicit, falsae sint. Inprimis una aedificat, & altera destruit. Dicit enim Logicos materiam propositionum in quatuor classes seu membra dividere. Hoc habito pro fundamento, loco illud confirmandi, aut ex eo ut ex principio arguendi, id ipsum mox destruit dicens, duo posteriora membra reduci ad priora. Ergo prior divisio est inepta, cum non habeat membra contradistincta & opposita, quod tamen ad bonam divisionem requiritur. Praeterea certum est, materiam necessariam & impossibilem sumi à Logicis pro simpliciter tali, & non complecti omnia evidenter vera, nedum incerta & probabilia: sic evidens est Petrum esse album, sed quia non est necessaria sed contingens connexio inter terminos, idè materia illius propositionis juxta Logicos contingens est, non necessaria. Rursus, affectat vel unum Logicum, qui dixerit projectionem pistorum partium in primo talorum actu esse materiam impossibilem, aut ad materiam impossibilem revocari, & aliquid pro sua sententia effecerit, sed cum neminem invenerit, fateatur tandem, tales propositiones non posse revocari ad necesse aut impossibile juxta sensum Logicorum, ac proinde doctrinam illam Logicorum non solum non deservire ad intentum Celladei, sed illam manifestè evertere.

37. Praeterea nil juvat Celladeum, quod Logicis doceant, contingens esse necessariò contingens, aut Petrum necessariò non currere, ex suppositione quod sedeat, quia istae propositiones sunt in materia prorsus necessaria, cum subiectum propositionis separari nequeat à praedicato, quod est materiam esse necessariam. At praeter hoc, ipsa positio conditionis, quod sedeat, est contingens, quia sessio contingenter additur Petro; nos autem non solum affirmamus, quod sedeat ex suppositione quod sedeat, sed simpliciter affirmamus, quod sedeat. Primum est necessarium, secundum contingens. Itaque certum est, non omne affirmabile reduci à Logicis, aut reduci posse ad materiam necessariam, quia ipsa simplex essentia rei contingens directe affirmari potest, sine praesentia suppositione ex parte objecti. At talis materia est pure contingens, ut patet.

38. Nec felicior est in exemplo à Theologia desumpto de cognitione futurorum contingentium, quia quamvis per prius sint futura, quam cognoscantur esse futura, id est, quia in istiusmodi casibus valet dicere, idè cognoscantur, quia sunt futura; non idè sunt futura, quia cognoscantur esse futura, & hoc est objectum huiusmodi contingens praesupponi futurum, priusquam cognoscatur futurum. Nihilominus materia illius scientiae est pure contingens, quia Deus non videt illa esse futura, quasi verò dicat, ex suppositione quod sint futura sunt futura, haec enim est veritas necessaria, & spectat ad scientiam necessariorum, sed enunciat de ipsa conditione, & dicit ea esse futura, cujus cognitionis objectum non est necessarium, sed pure contingens, quia nil est, quod reddat veritatem illius necessariam praeter ipsam entitatem rei, quae essentialiter est contingens, & ita est, ut omnibus consideratis

Celladeus in eodem contextu idem reprobat quod approbat.

Non loquitur in sensu Logicorum, quos pro se citat.

Materia contingens non reducit ad necessariam, sed illi opponitur.

Objectum scientiae de futuris contingentibus est materia pure contingens.



potuisset non esse. Supponunt quidem Theologi, nil indifferens ad opposita posse esse objectum sufficienter determinans ac movens ad cognoscendum unum potius quam aliud; at falsissimum est, quod supponant, hanc indifferenciam convenire rebus contingentibus, quia res contingens, etsi nullam in causis determinationem habeat, habet tamen determinationem in se, scilicet contingenter à causa. Hæc autem contingens determinatio est objectum, quod cognoscitur in se, per propositionem habentem materiam contingentem, scilicet talem, quæ poterat non affirmari ac cognosci à Deo, sicut nunc cognoscitur, quod non est verum de ulla veritate necessaria, ut patet. Itaque falsum est, quod nil contingens, quæ contingens, sit cognoscibile; sicut etiam falsum est, quod æquæ & minus probabilia non sint enunciable, quia intellectus flexi potest per imperium voluntatis, ut ea enunciet; sed ita ut simul per ipsum iudicium feratur in ea ut in probabiliora, sicut explicatum est.

Affirmabilitas & negabilitas in quofundatur.

39. Demum falsum est, quod universaliter dicit, omne affirmabile consistere in magna quadam inclinatione, & omne negabile in magna quadam difficultate, quia multa sunt, quæ sine ulla difficultate aut propensione eveniunt. Talia sunt, quod Petrus hic & nunc impingat in lapidem, aut quod ego projiciens viginti talos hæc determinata puncta jiciam. Hæc & hæc similia proveniunt absque ulla propensione ad unum, aut difficultate ad oppositum, ut patet. Et tamen sunt affirmabilia, quando per experientiam innotescunt; sed tunc qui videt illa, habet quidem magnam propensionem ad illa affirmanda, sed illa propensio se tenet ex parte intellectus judicantis, non ex parte rei affirmatae, quæ proinde nullo modo est necessaria, sed pure contingens, non solum in sensu Logicorum, sed, quod plus est, juxta acceptionem materię necessariæ ab ipso Celladeo adhibitam. Certum ergo est, dari aliquid affirmabile & negabile, quod absque ulla magna propensione vel difficultate ponitur, & consequenter, quod nullo modo reducitur ad materiam necessariam vel impossibilem.

Absurda ex doctrina Celladei.

40. Porro, etsi in sensu Celladei, omnia illa dici possint secundum quid necessaria, quæ proveniunt ex magna propensione vel difficultate, non tamen è converso omnia ejusmodi necessaria vel impossibilia proveniunt ex difficultate vel propensione. Sic antequam jacerem talos, erat improbabile, omnes illos determinatos jactus eventuros, qui ex decem projectionibus de facto eve-

nerunt. Ergo secundum Celladeum illud erat impossibile. Ex opposito contrarium erat probabile. Ergo contrarium erat necessarium. Et tamen nec positio unius, nec alterius exclusio facta est ex ulla magna propensione vel difficultate. Ergo doctrina Celladei nec vera est in rebus in se existentibus, & per proprias species cognitæ, nec in rebus, quæ ex prævia causarum dispositione cognoscuntur. Immo ex suis principis teneat admittere in casu allato, impossibile fieri factum esse, & necesse non fieri esse factum, quæ certè & in se absurda sunt, & in præsentia materia absurdissima, utpote in qua nil dictis propositionibus magis absolum dici potest.

41. Cæterum, quamvis in casu ingentis probabilitatis rarissime fallentur dici possit, quod ejusmodi objectum sit quodammodo necessarium, maxime si probabilitas fundetur in propensione vel difficultate maxima (nam in jactu talorum, & in aliis, quæ absque propensione vel difficultate eveniunt, alter dicendum videtur) & multi dicant, cognitionem talium esse quodammodo moraliter certam; nihilominus loquendo de iis quæ sunt parum probabilia, qualia sunt, quod puncta in primo talorum jactu non pertingent ad numerum octonarium, nemo communiter dixerit, hoc esse necessarium, aut oppositum impossibile, ne quidem secundum quid, nisi maxime improprie loquatur, sicut loqueretur, qui simpliciter diceret, aquam calentem esse frigidam.

42. Præterea quæ sunt necessaria aut impossibilia secundum quid, communiter vocantur talia. Sic dicimus impossibile esse hominem datæ opportunitate, non operari ex habitu intenso, quia scilicet oppositum valde raro, & non nisi difficulter fit. Nihilominus nemo vocat ea impossibilia, quæ valde frequenter eveniunt, quamvis opposita eveniant frequentius. Similiter nemo vocat ea necessaria, quæ frequentius eveniunt, si oppositum valde frequenter contingat, ut evidens est in dicto jactu talorum, aliisque innumeris. Certum tamen est, illa objecta esse probabilia, & affirmabilia, quia multo frequentius eveniunt quam opposita. Ergo in omnium sententia dantur objecta opinabilia, de quibus nemo prudenter dicit, quod sint necessaria vel impossibilia, etiam juxta largissimam harum vocum significationem, ab imperitis juxta ac peritis usurpatam. Errat ergo Celladeus, & non solum contra certissimam Logicorum doctrinam, sed contra communem omnium sensum opinatur, dum asserit, omne opinabile reduci ad necesse vel impossibile.



QUÆ.